

**www.e-rara.ch**

**Alphabetum II. quaestionum miscellanearum canonico-theologicalium ex  
sacra Tridentina synodo, sacris canonibus, ss. patribus, & auctorum  
probatissimorum**

**Sebaldus**

**Herbipoli, anno 1734**

**Zentralbibliothek Zürich**

Shelf Mark: Rs 293: ba

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-47492>

[F].

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

qui nunquam ligatus erat, hinc ex petitione absolutionis ab excomm. legitimè inferitur, petentem fuisse excommunicatum: econtrà exceptio absolutionis ab excomm. dum illa à reo contra actorem opponitur, necessariò non infert præcedentem excommunicationem ad fundandam intentionem actoris; siquidem sedes Apostolica multos ab excomm. ad cautelam absolvere consueverit, qui reverà non erant excommunicati. *Cap. per tuas. 40. §. Nos igitur. de sent. excomm.*

22. *Repl. ex exceptione transactionis super jurisdictione spirituali inter me & alterum factæ necessariò inferitur, me alterius jurisdictioni spirituali antea subfuisse, Cap. præterea. 10. de transact.* ergo etiam &c. *R. N. ant.* nec id probatur ex *cit. Cap.* utpote ubi jurisdictionis spiritualis non ex transactionis exceptione sed ex *directa* Religiosorum confessione inferitur; nam Religiosi, ut ibid. refertur, erant in jure seu judicio confessi *se illi domui* (quæ jurisdictionem prætendebat) *quondam fuisse subjectos*; addebant tamen, eandem subjectionem transactione quâdam, cujus vigore censum annum Ecclesiæ matriçi persolvebant, sublatam esse. *Schmier n. 76.*

23. *Q. 19.* quidnam exceptioni contrarietur? *R. quod Replicatio, quæ est proposita exceptionis refutatio, vel defensio actoris contra reum excipientem.* Reus replicationi respondet per *duplicationem*, quam actor elidit per *triplicationem*; & hanc iterùm reus enervat per *quadruplicationem*, ultrà quam iudex partibus nullam defensionem admittere debet, ne aliàs lites penè immortales fiant ac infinitæ.

## FACULTAS MERA.

Ejus actus sunt illi, quos citrà ullam obligationem & tantùm ex mero arbitrio v. g. causâ amicitie, liberalitatis, familiaritatis &c, vel quia sic lubet, solent facere.

cere vel omittere homines. Hujusm. actus alii sunt *Affirmativi*, qui videntur eò tendere, ut per eos, si præscriptio in iis locum haberet, præscribenti jus quoddam acquiratur, ut e. g. si multis annis aliquem ad convivium invites, certum molendinum, certam tabernam &c accedas pro molendis frumentis, emendis vino, carnibus &c. Alii sunt *negativi*, qui eò tendere videntur, ut jus alterius, si daretur præscriptio, extinguatur sive negetur, e. g. si alter multis annis ædificium ex mero beneplacito altiùs non tollat: quæ ommissio est actus meræ facultatis seu voluntatis. Vide: *Præscriptio*.

## FAMA JURIDICA.

1. *Q. 1.* quotuplex sit apud Juristas fama? R: duplex, sc. *fama hominis*, quæ est bona vel mala existimatio de homine; & *fama inter homines*; quæ est communis, ex veri similibus & probabilibus duntaxat conjecturis nata, opinio hominum cordatorum & piorum de altero sentientium & loquentium. Et hæc fama (de qua in seqq. loquemur) si sit de delicto hominis, vocatur *infamia facti*. Ejus descriptio (quæ ex *Cap. 21. §. quæsvisti*, & *Cap. 24. de accusat. &c* colligitur) explicatur: Dixi 1. *communis* hominum loquentium opinio; nam si pauciores de communitate quidquam spargant, non dicetur fama vel infamia. *cit. §. quæsvisti*. Dixi 2. *ex verisimilibus* &c; quia si talis opinio sit orta ex eo, quòd v. g. delictum patrari *viderint* multi aut aliqui, erit notorium aut manifestum, non verò fama sive infamia propriè dicta. Dixi 3. *hominum cordatorum* &c ob dicenda *n. seq.* Dixi 4. *loquentium*; nam; quod vel cogitatu, vel factò, aut scriptò communiter tenetur, id quidem ad communem opinionem vel sensum pertinet, ast fama (utpote, quæ à *fando* dicitur) non consurgit, nisi communis æstimatio per ora hominum divulgetur, juxta id Virgilii:

*Fama malum, quò non aliud velocius ullum,  
Mobilitate viget, virésque acquiris eundò.*

2. *Q. 2.* in quo convenient & differant infamia facti (de *infamia juris* vide inferius) seu fama ac clamorosa infinuatio & rumor? *R.* 1. convenire in hoc, quòd debeant nasci ex verisimilibus conjecturis apud homines cordatos, pios, & nullâ tinctos fuligine suspicionis. *R.* 2. differre in hoc, quòd *clamorosa infinuatio* magis propriè accepta (latius enim sumpta sæpiùs eadem est cum infamia) sit vox totius populi. *Rumor* dicit aliquid minus, quàm infamia; quia rumor dicitur, quando 2. 3. vel 4. personæ loquuntur de delicto. Si ad multorum quidem notitiam pervenerit delictum, sed ea notitia fundetur in futilibus solùm & debilibus principiis & absque verisimilibus conjecturis, non erit rumor, multò minùs fama, sed *rumusculus vulgi*, de quo parùm curandum.

3. *Q. 3.* inter quot personas debeat esse sparsus rumor, ut famam seu infamiam gignat? *Respondet & probat c. 3. N. Petrus ab Ang.* quòd inter decem de aliqua Communitate magna, vel inter sex de aliqua *vera* Communitate solùm ex decem consistente, v. g. Conventu Religioso. Addit: *verâs*; nam ob defectum Communitatis non sufficit, si rumor sit sparsus inter domesticos alicujus familiæ aut loci Religiosi, qui nondum est erectus in Conventum.

4. *Q. 4.* quomodo infamia facti sive fama juridica (de *Theologica* vide in *III. Alph.*) aboleri queat? *R.* quòd factò contrariò sive publicâ, constanti, & per triennium saltem continuatâ vitæ emendatione; ut docent *DD.* per *Can. nunquam 3. Dist. 56.* ubi S. Chrysostr. relatus ait: *ad meliora conversum nequaquam prior vitæ commaculat.*

5. *Q. 5.* quotuplex sit dicta fama? *R.* duplex, generalis & specialis. *Generalis* est communis opinio de homine, certo in genere eum deliquisse, e. g. esse furem, latro-

latronem, aut adulterum &c. *specialis est communis inter homines opinio de certo & determinato hominis delicto, e. g. si de Titio spargatur, quòd hunc calicem furatus sit, vel quòd Bertham imprægnaverit &c.*

6. *Q. 6. nunquid ipsa fama, ut fidem faciat in judicio, probari debet? & aff. cum Engel ad lib. II. tit. 19. n. 14. & hòc teste, receptiore DDrum. Debet autem probari per duos saltem testes, qui*

7. *Primò deponere debent, quòd audiverint à potioribus de communitate, rem ita vel ita se habere. Schmier l. 2. tr. 3. c. 9. n. 10. cum aliis Arg. Cap. qualiter & quando. 24. de accusat. Cap. præterea. 27. de testib. & L. ubi numerus. 12. ff. eòd. Non requiritur tamen, ut testes illi deponant, se audivisse in eodem loco ab iisdem personis; sed sufficit, si in sua depositione sint singulares, videlicet si unus dicat: ego id audivi à talibus, & alter: ego ab illis & illis. Engel cit.*

8. *Secundò debent iidem testes suam assertionem confirmare juramentò; sicut enim in aliis casibus testi, nisi sit juratus, non creditur, ita nec in probatione famæ; prout apud Schmier n. 11. contra Mascardum docet Stryckius, suam doctrinam limitans, quando decem aut plures testes unanimiter de fama deponunt; tunc enim numerus supplet, quod in duobus admittere periculosum videbatur.*

9. *Tertiò testes de fama deponentes nihil probant, nisi rationem reddiderint sui dicti seu depositionis. Tunc autem rationem sui dicti reddidisse censentur, si causas seu indicia & conjecturas, ex quibus fama suam originem traxit, nominatim & specificè expresserint. Advertit tamen Baldus & alii cum eo, id juxta praxin Romanæ aliarúmve curiarum non requiri sed sufficere, si testes dicant se audivisse à multis asserentibus, id communiter sive à majori parte asseri & credi. Juxta omnes in rebus minoris momenti ac præjudicii, sicut & in factis antiquis, quæ hominum ætatem & memoriam*

excedunt, testes dicti sui causam sufficientem reddere censentur, si asserant, se à majoribus suis intellexisse, de iis publicum & communem populi sensum ac sermonem fuisse; quia in talibus minùs accuratæ probationes admittuntur; neque in factis antiquis & ultrà hominum ætatem remotis potest semper de fundamento constare.

10. *Quarto* debent testes, saltem si à iudice quoad hoc interrogentur, aliquas honestas & providas personas nominatim exprimere, e. g. à *Petro, Andrea, & etiam à multis aliis id audivi.*

11. *Quinto* debent eorum testificationes esse concordantes & non contrariæ, ut alter non neget, quod unus affirmat. Potest etiam fama probari per privilegia antiqua & instrumenta, per scripturas authenticas & litteras virorum probatorum &c.

12. *Q. 7.* quomodo fama probata probet in civilibus? *R.* cum *comm. DD.* quòd *regulariter* efficiat semi-probationem, ita ut, si alia semi-probatio, unus testis, præsumptio urgens, confessio extrajudicialis absente adversario cum expressione causæ accedat, probatio plena consurgat; ut *Schmier n. 17.* probat ex *Cap. præterea 27. de testib. & L. testium fides. 3. §. 2. ff. eòd.* ubi ad hoc, ut fama plenam efficiat probationem, exigitur *fama consentiens*, quasi sc. fama tum demum cum plenitudine probet, quando cum aliis indiciis aut administris *consentit.*

13. *Q. 8.* cur in præced. additum sit: *regulariter*? *R.* quia fama aliquando plus, quàm semi-plenè, aliquando minùs probat. *Minùs*, quàm semi-plenè, *probat*, quando vel causa civilis est ardua, vel fama non est sufficienter probata, vel contrariis præsumptionibus elisa. *Schmier* cum aliis *n. 19.* *Plus* & interdum plenè probat, quando factum est antiquum, occultum, probatu difficile, peccati periculo obnoxium, vel ex usu & opinione populi interpretandum; velut contingit in proba-

ba-

batione finium, mortis, impedimenti matrimonialis &c. *Schmier n. 18.* cum *Engel*, qui *n. 20.* ita habet: specialiter de jure Canonico ad dissolvenda sponsalia & impediendum matrimonium sola fama de affinitate & consanguinitate desponsatorum sufficit, partim propter periculum, ne matrimonium nulliter contrahatur, & illicitus fiat concubitus, partim etiam, quod scandalosum sit, duas personas conjungi, quæ publicâ existimatione affines vel consanguineæ reputantur, per textum in *Cap. 2. de consang. & affin.* Item, quamvis conjugii propter diuturnam absentiam alterius conjugis non possit dari licentia alias nuptias contrahendi, nisi certum nuntium de morte ipsius conjugis habeat, ut in *Cap. in presentia. 19. de sponsal.* dicitur, nihilominus nomine certi nuntii etiam famam comprehendi, si communis & in causa probabili (e. g. propter diuturnam absentiam, senectutem, aut mortem, vel belli pericula &c) fundata sit, docet Glossa in *Cap. quoniam §. porrò. §. si autem. ut lite non contest.* per text. in eod. §. *si autem.*

14. *Q. 9.* quomodo fama probet in criminalibus in ordine ad pœnam infligendam? *Rz* cum *comm. DD.* quod nec semi-plenè. *Rat.* quia probationes, ad inferendam pœnam requisitæ, debent esse luce meridianâ elatiores.

15. *Q. 10.* an fama saltem sufficiat ad torturam? *Rz* *Neg.* nisi vel alia adminicula conjuncta habeat, vel ex indicis urgentissimis & antea probatis suborietur. *Schmier n. 21.* citans *Constit. criminalem Caroli Quinti art. 6.*

16. *Q. 11.* quid ergo fama in criminalibus operetur? *Rz* *seqq.* 1<sup>o</sup> dat fundamentum inquisitioni speciali in personam infamatam juxta *Cap. qualiter & quando 17. Cap. cum oporteat. 19. & Cap. 24. de accusat.* 2<sup>do</sup> subinde dat locum incarcerationi, quando persona infamata est de fuga suspecta, nec adeo propter antea actam vitam honesta. 3<sup>io</sup> in foro Ecclesiastico inducit purgationem

Canonicam per *Can. presbyter. 5. Causâ. 2. q. 4. 4to* in eodem foro quandoque tribuit facultatem, infamatum suspendendi ab officio & beneficio. *Cap. inter sollicitudines. 10. de purg. Can. Schmier n. 22.*

## FAMILIARIS

1. in genere omnis ille dicitur, qui alteri cohabitât. *Laynensis t. 1. tr. 6. q. 11. n. 1. per Cap. insinuante. 25. de off. jud. deleg. & Cap. in litteris. 24. de testib. ubi Glossa.* Et sic marito familiares sunt uxor, filii, nepotes, servi, omnesque alii, qui ratione patriæ potestatis vel domini degunt cum illo, & illius sumptibus & expensis continuo aluntur, etiamsi pro ejus negotiis peragendis contingat illos abesse. Consonat *Cap. fin. de V. S. in 6. ubi familiares Episcopi (vel Papæ) dicuntur Clerici, qui Episcopi expensis continue sunt ejus domestici commensales; etiamsi quos ex illis aliquando pro ejus gerendis negotiis abesse contingat.*

2. *Q. 1. an familiares Papæ sint exempti à jurisdictione sui Ordinarii? R. aff.* quia immediate subyciuntur Romano Pontifici *Cap. si Papa. 10. de privil. in 6. ubi: si aliqui recipiantur in proprios & speciales subjectos, censentur exempti. Confirm. ex Cap. cum dilectus. 14. de Clericis non resid. ubi Glossa ait, familiares Papæ censeferi membra corporis illius: ergo sunt exempti à jurisdictione Ordinarii, & immediate subjecti Papæ; cum repugnet, unius corporis membra pluribus subesse capitibus in spiritualibus vel temporalibus. *Octavius interrog. 1010.* Unde tales familiares à suo Ordinario vel hujus delegato nequeunt excommunicari, interdici, aut suspendi. *Sylvester Verbô: Exemptio n. 2. & 4. Constat ex cit. Cap. si Papa.**

3. *Q. 2. an Episcopus possit ordinare suum familiarem, alienæ Diocesis subditum? R. aff.* si tria concurrant: *unum* est, ut eum sibi cæteròquin non subditum

Epi-

Episcopus per integrum & completum (*Delbene* apud *La Croix l. 6. p. 2. n. 2187.* putat sufficere, si annus tertius sit inceptus) triennium in suo actuali servitio secum retinuerit, & suis sumptibus aluerit: *2dum*, ut eadem beneficium, quod ad vitam sustentandam sufficiat, quâcunque fraude cessante, statim, hoc est saltem intra terminum unius mensis à die factæ Ordinationis, reipsâ conferat: *3ium* est, ut familiaris litteras testimoniales super natalibus, ætate, moribus, vita, ab Episcopo originis & domicilii exhibeat. *Schnier l. 1. tr. 4. c. 3. n. 83.* cum *Clericato* &c. per *Trid. Sess. 23. de ref. c. 9. & Bullam Innoc. XII. de anno 1694.* quæ incipit: *speculatores domûs Israel. §. Ad hæc nullus.*

4. Q. 3. nunquid nomine familiaris hîc etiam intelligitur is, qui non immediatè ipsi Episcopo sed hujus famulo & ministris famulatur, simulque in ædibus Episcopalibus commoratur & alitur? *Rz aff.* quia talis reverà est familiaris Episcopi: unde ab hoc potest ordinari, si adsint, quæ num. præc. sunt requisita. *Delbene* cum *Sanch.* apud *cit. La Croix, & Schnier n. 86.* cum *Clericato & Antonello.*

5. Q. 4. an dicta quoque procedant de Episcopo ordinato titulò Ecclesiæ in partibus infidelium existentis? *Rz Neg.* huic enim in *Trid. Sess. 14. de ref. c. 2.* apertè prohibetur, ne subditum alienum absque hujus proprii Prælati consensu ordinet, etiam sub prætextu familiaritatis aut continuæ commensalitatatis. *DD. comm.*

6. Quòd Confessarius Regularis, ab Episcopo non approbatus, de sola licentia sui Prælati possit audire confessiones sæcularium suorum familiarium, tradidimus *Parte VI. Quæst. moral. à n. 400.* ubi eandem facultatem extendimus ad alia sacramenta. Quod de comunione paschali repetivimus *Parte VII. n. 935.* & de Viatico ac extrema unctione *Parte VIII. n. 431.* Quoad familiarium sepulturam vide: *Sepultura.*

7. Q. 5. an privilegium personale extendatur ad personæ, cui concessum est, familiares? R. Neg. cum Layn. t. 1. tr. 6. q. 11. ubi n. 3. limitat: nisi aliàs personæ inutile foret privilegium. Arg. Cap. in his. de privil. Unde sicui concessum sit tempore communis interdicti celebrare, potest ex suis familiaribus secum sumere ministrum missæ, si alius desit ab eodem interdicto exemptus. Vide: *Interdictum*.

8. Q. 6. qualis Christianis familiaritas cum judæis prohibeatur, R. quòd illa, ex qua periculum perversionis vel scandali timeri potest. Vide: *Judæus*.

## FATUM.

1. Q. 1. quid nomine *fati* intellexerint quidam Philosophi gentiles? R. quòd negantes Divinam providentiam, & omnia à fato dependere autumantes, facti nomine intellexerint aliquod invariabile principium, cujus virtus influat in corpora & actiones humanas ita, ut homo nullatenus cum illis aliter disponere valeat, quàm virtus fati eas determinet: quam virtutem dicebant in stellis & certa earum connexionione aliisque cælorum influxibus consistere, ex qua omnes effectus inevitabili quâdam necessitate proveniant, sic, ut nec casu, nec fortunâ, neque liberè quidquam fiat. Ita etiam impiè sentiebant *Epicurus, Priscillianus, Wicklessus, & Petrus Abailardus*, quorum error damnatus est in *Conc. Braccarensi I. cap. 9. ubi: si quis animas & corpora humana fatali signo credit adstringi, sicut Priscillianus & Pagani dixerunt, anathema sit.*

2. Q. 2. quare præfatum fatum sit damnatum? R. quia 1<sup>mo</sup> impugnat divinam Omnipotentiam, quasi DEUS non posset immutare & impedire operationes atque effectus rerum inferiorum. 2<sup>do</sup> quia tollit liberum hominis arbitrium; eum voluntas humana à fato regeretur, nec juxta sui beneplacitum in oppositum se

se determinare posset: quod est contra scripturam *Jo-  
sue ult.* ubi: *optio vobis datur, eligite hodie, quod pla-  
cet, & Eccles. 31. beatus vir, qui potuit transgredi, &  
non est transgressus.* 3<sup>o</sup> quia aufert omnem merendi  
& demerendi facultatem; siquidem actiones nostræ à  
fato determinatæ essent necessariae, non liberae.

3. *Obj.* illud *Prov. 21. cor Regis in manu Domini est,  
& quò voluerit, vertet illud:* ergo DEUS fataliter in-  
fluit in voluntatem humanam. *R. N. conf.* nam sensus  
textûs est, quòd voluntas humana à DEO tanta acci-  
piat auxilia, ut liberè & sine ulla coactione vertatur,  
quorsum DEUS vult.

4. *Inst.* per illud Apostoli *ad Rom. 7. non enim, quod  
volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio:*  
sed hoc indicat impulsum coactivum: ergo. *R. N. min.*  
Apostolus loquitur de homine carnali, cujus appetitûs  
sensitivi pravitas ita propendeat in objecta delectabilia,  
ut inclinationem suam malam difficilè superet, sed eam  
sequatur, liberè tamen, hòc ipsò, quòd id odio ha-  
beat ut rectæ rationi oppositum, & vellet non peccare,  
nisi vellet frui objectò sensibili. *Ex dictis*

5. *Inf.* cur SS. PP. olim aded odiosum habuerint no-  
men fati, & quare id etiamnum à Catholicis sobriè  
usurpandum sit.

6. *Q. 3.* quid Philosophis Catholicis sit fatum? *R.*  
esse inhærentem rebus mobilibus immobilem disposi-  
tionem, secundum quam DEI Providentia suis quæque  
nectit ordinibus. Ita *Boëtius l. 4. de consol. Phil.* Sen-  
sus definitionis est, quòd fatum sit dispositio causarum  
naturalium, quatenus Divinæ Providentiæ subsunt, &  
juxta hujus præordinationem infallibiliter operantur ita,  
ut nihil operentur, quod non sit à DEO prævisum &  
præfatum. Et hinc dicit *Boëtius*, quòd fatum sit *im-  
mobilis dispositio inherens mobilibus*, id est, infallibilis  
dispositio inferiorum causarum, secundum quam DEI  
Providentia suis quæque nectit ordinibus, hoc est, secun-  
dum

dùm quam DEUS omnia perducit in suos fines, accomodatè ad naturas suas, libera per media infallibilia, aut non necessaria sed libera, necessaria verò per media necessaria. Unde effectus, qui fatò fieri dicuntur, reducuntur primò & principaliter in Divinam Providentiam, proximè verò in causas intermedias, non absolutè spectatas, sed quatenus à DEO dispositæ & ordinatæ sunt ad tales effectus producendos.

## FISCUS.

1. Nomine *Fisci* intelligitur Camera seu ærarium sive cassa cujuslibet Principis, Statûs, aut Nobilis immediati in Imperio Romano-Germanico. Ille, qui huic ærario præficitur ad ejus commoda procuranda, appellatur *Procurator fiscalis*.

2. *Q. 1.* an res furtiva, apud furem à judice apprehensum inventa, cedat Fisco? *Rz Neg.* sed est restituenda Domino, si de hoc constet. *DD. comm.* per *L. si captivus. 20. ff. de captivis.* & *L. incivilem. 2. Cod. de furtis*, ac *Cap. 48. de R. F. in 6.* atque *Recess. Imperii de anno 1550. §. 35.* ubi contrariæ consuetudines & statuta reprobantur.

3. *Q. 2.* quando Fiscus succedat in bonis allodialibus? *Rz cum comm.* quòd tunc, quando dominus illorum bonorum non reliquit hæredem, nec conjugem, neque vixit in aliquo Collegio legitimâ auctoritate instituto; tunc enim ejus bona tanquam vacantia capit Fiscus, & quidem sæcularis, si defunctus fuit sæcularis; Ecclesiasticus verò, si defunctus fuerit Clericus, nec ministraverit in aliqua Ecclesia. *L. 1. & 4. Cod. de bonis vacant.* Quò casu Fiscum nomen & officium veri hæredis suscipere, docet *Miller* apud *Schmier l. 3. tr. 14. p. 2. c. 1. n. 103.* dicentem, si tamen dubius emergat casus, non fore incivile, contra Fiscum respondere. *L. non puto. 10. ff. de F. F.*

4. Q. 3. quid, si iste defunctus fuerit peregrinus, neque de ejus consanguineis aut conjuge constet? *Rz*, ejus bona non à Fisco sed ab Episcopo occupari, eroganda in pias causas. *Auth. omnes peregrini. Cod. communia de success.*

5. Q. 4. an Fiscus etiam succedat in bonis feudali-  
bus? *Rz Neg.* nisi dominus directus habeat simul jus  
Fisci, vel omnes agnati unàcum domino directo obie-  
rint. *Rat.* quia, ubi deficiunt hæredes feudales, feudum  
redit ad Dominum, & cum dominio directo consolida-  
tur. *Tit. 14. §. 2. lib. 1. Feud. & tit. 14. lib. 2. Feud.*

6. Q. 5. nunquid Fiscus habet pignus & hypothecam  
legalem ac tacitam in bonis primipili seu illius, qui  
militarem annonam administrat? *Rz aff.* & quidem adeò  
quoad hoc est privilegiatus Fiscus, ut etiam dos mu-  
lierum & bona liberorum, tamen si hæredes non sint,  
in subsidium obligata censeantur. *L. satis notum. 4.*  
*Cod. in quib. caus. pignus &c.* & *L. 1. 3. ac 4. Cod. de pri-*  
*mipilo. Rat.* quia ex administratione primipilari salus  
totius exercitus dependet. Ob quam rationem dictum  
privilegium pignoris à *Perez & Lauterb.* apud *Schmier*  
*l. 3. tr. 2. c. 5. n. 50.* extenditur ad hodiernos annonæ &  
ærarii militaris Præfectos vulgò *Proviand, Meißter und*  
*Kriegs, Commisari.*

7. Q. 6. an privilegium hujus pignoris sit etiam ex-  
tendendum ad bona Officialium Cameræ, qui pecunias  
Principi debitas colligunt? *Rz det* cum aliis contra *Ant.*  
*Peregrinum Negativè P. Schmier n. 40.* quia, *inquit*, id  
fortassis est contra praxin, & certò contra rationem ju-  
ris, quod non patitur, hujusmodi exorbitantia privi-  
legia ad casus non expressos extendi. *Cap. qua à jure.*  
*28. de R. J. in 6.*

8. Q. 7. nunquid pignus Fiscale etiam est constitutum  
in bonis subditorum propter tributa, collectas, & præ-  
stationes alias, etiam extraordinarias? *Rz aff.* ob textus  
generales in *L. univ. sa. 1. Cod. in quib. caus. pignus &c.* &  
*L. ven-*

*L. vendit. 1. Cod. si propter publicas pensit. Schmier n. 52.* eandem hypothecam quoque porrigit ad telonia, accifas, detractiones vulgò *Rachst. uer/ oder Abzug. Geld.* Idem cum *Brunneman* advertit, eum, qui locò alterius consuetas pensitationes solvit Fisco, in hujus vicem & jura succedere.

9. Q. 8. an Fiscus habeat pignus in bonis ejus, qui cum ipso contraxit? *Rz aff. per L. certum est. 2. Cod. in quib. caus. pignus.* Imò habet pignus quoque in bonis illius, cum quo contraxit alius, cui Fiscus successit, non quidem omnibus, sed in iis, quæ tempore successionis adfuerunt. *L. Fiscus. 6. ff. de J. F. Schmier n. 53. cum Bachovio.*

10. Q. 9. an Fisco sit concedenda hypotheca etiam in pœnis & multis? *Rz det Neg. cum Perez & aliis Schmier n. 54. ob defectum legis. Nec obstat textus L. aufertur. 46. §. 3. ff. cit. ubi: Fiscus semper habet jus pignoris; quia ly semper est accipiendum in sensu accomodo, videlicet in causis & debitis civilibus, non autem in causis & debitis ex delicto. Idem Schmier, qui num. 55. cum aliis probat, eam hypothecam, si in delictis Fisco concederetur, nihil singulare posse operari; utpotè cum Fiscus non tantùm creditoribus hypothecariis, sed etiam chirographariis, quoad exactionem multarum & pœnarum postponatur. L. 11. 17. 31. ff. de J. F. & L. un Cod. pœnis fisc. creditor præferri.*

11. Q. 10. an is, qui justè interrogatus fraude vel mendaciò declinat multam imponendam sibi vel aliis ob delictum, teneatur restituere Fisco? *Rz Neg. cum Sanchez. Less. Lugo & aliis apud La Croix l. 3. p. 2. n. 82. contra multos. Rât. est tum quia Fiscus ante sententiam non habet jus ad istam multam: tum etiam, quia fraus illa vel mendacium videtur remotè & per accidens tantùm conjungi cum illo damno; siquidem directè tantùm tendat ad damnum à se vel alio averrendum.*

12. *Obj.* est regula generalis, quòd is, qui per fraudem vel mendacium impedit bonum alterius, teneatur reparare damnum *Resdent apud cit. La Croix Sanch. & Lugo*, id verum esse, quando impedimentum fit per actiones proximè conjunctas cum illo damno; tunc enim justitia obligat ad tales actiones omittendas: Si autem tantùm remotè & per accidens sint conjunctæ, tunc justitia non videtur obligare ad eas omittendas.

*Unde, si*

13. *Q. 11.* num illi, qui per fraudem impediunt, ne quis accusetur, teneantur restituere mulctam alioquì pendendam? *Rz cum cit. AA. Neg.* quia, quamvis Fiscus fortè habeat jus, ne per fraudem proximè & directè impediatur à tali mulcta consequenda, id tamen non videtur hìc fieri; cùm intentio impediens non feratur directè & proximè in damnum Fisci, sed in defensionem amici vel occultationem delicti, ex quo per accidens sequitur illud damnum Fiscò. *La Croix cit.*

14. *Q. 12.* an testes, advocati aliique similes, qui falsò defendunt reum, sicque impediunt, ne mulctetur, teneantur restituere Fiscò? *Rz Neg.* cum *Beja & Lugo* apud eundem *La Croix.* *Rat.* est eadem, quæ *num. præc.*

15. *Q. 13.* an Fiscò restituere teneantur Procurator fiscalis, qui est causa, cur Fiscus non accipiat mulctam per leges impositam, & judex hanc mulctam reo non imponens, aut sine causa relaxans vel diminuens? *Rz Neg.* cum *Less. Lugo* & aliis contra alios apud *La Croix n. 83.* *Rat. est tum,* quia eorum officium primariò est ad hoc, ut delicta delata non fiant, & secundariò tantùm ordinatur ad emolumentum Fisci. *Tum etiam,* quia ejusmodi mulcta debetur duntaxat ex justitia vindicativa, non verò commutativa, cujus solius violatio causat obligationem restituendi.

## FOEDUS

1. est pactio publica à personis publicis, arctioris conjunctionis ergo, inita. *Schmier l. i. tr. i. c. 4. n. 68.* dicens, fœdera referri ad jus Gentium in ea consideratione, quatenus, si debitò modò & rationabilì causâ petantur, absque ratione negari non possunt.

2. *Q.* 1. an liceat Christianis Principibus, pangere fœdera cum infidelibus contra alios infideles, & illis contra hos assistere armis, pecuniâ, aliisve auxiliis? *R.* licere ex causa justa. Constat ex sacra scriptura, ubi legitur, DEUM Judæis, qui erant populus fidelis, imperâsse inire fœdera cum Gentilibus; & fœdera Romanorum cum Judæis approbantur tum à S. Aug. *l. 5. de civ. Dei,* tum à D. Th. *opusc. 21.* *Rat.* est, quia charitatis & amicitiae legibus vel maximè convenit, ut quis innocenti & injustè patienti contra nocentem auxiliares porrigat manus, & illos, qui vim patiuntur iniquam, contra vim defendat juxta id *Prov. 24. v. 11. eos, qui trabuntur ad interitum, liberare ne cesses.*

3. *Q.* 2. an liceat Christianis Principibus, fœdera cum infidelibus v. g. Sarracenis contrahere contra fideles? *R.* quòd minime. Constat ex *Deut. 7. & Cap. quorundam. 6.* ac *Cap. significavit. 11. & seqq. de Jud.* *Rat.* quia talia fœdera tendunt in destructionem atque perniciem Orthodoxæ fidei.

4. *Obj.* licet Principi Catholico, fœdera inire cum A catholicis seu hæreticis contra Principes Catholicos: ergo etiam &c, *R.* *N. cons. dispar. est,* quia fœdera illa cum hæreticis inita ex se non ita repugnant Religioni Catholicæ, quin, si periculum quoddam subsit, id per specialia pacta præcaveri nequeat: At verò periculum, ex fœderibus cum infidelibus initis Religioni Christianæ imminens, per nulla pacta potest excludi; siquidem illi, qui nefandas Alcorani leges sectantur, putent, se obsequium præstare DEO, si pacta cum Christianis

stianis inita pessumdent. *Schmier l. 5. tr. 2. c. 3. n. 8.* meritò addens, etiam fœdera cum hæreticis inita non admitti, si ab eis periculum evertendæ Religionis amoveri non possit. *Clem. un. de jurejur.* Vide dicta in *Parte III. Q. Q. mor. à n. 719.*

## FOMES PECCATI

1. nihil aliud est, quàm concupiscentia, ex peccato originali relicta, inclinans hominem ad peccandum. In hoc fomite non consistit formaliter peccatum originale. Est de fide contra Lutherum & Calvinum. *Rat.* quia, ut in *Trid. Sess. 5. Can. 5.* definitur, & ex verbis Apostoli *ad Rom. 8. v. 1.* constat, peccatum originale, & quidquid veram & propriam rationem peccati habet, tollitur in nobis per baptismum: atqui fomes peccati sive concupiscentia non tollitur per baptismum, sed in renatis relinquitur ad agonem; ut ibidem S. Synodus docet: ergo.

2. *Obj.* Apostolus *ad Rom. 7.* concupiscentiam vocat peccatum: at non actuale: ergo originale: *Explico maj.* vocat peccatum in sensu causali, quia nimirum ex peccato est, & ad peccatum inclinatur, *C. maj.* in sensu formali, *N.* Ita *cit. Trid.* & S. Aug. qui *l. 1. de nuptiis c. 23.* ait, concupiscentiam vocari peccatum, quia peccatò facta est, sicut lingua vocatur locutio, quam facit lingua, & manus appellatur scriptura, quam facit manus, ac sicut frigus vocatur pigrum, quia pigros facit.

## FORESTA.

1. Jus forestæ vel foresti die *Förstliche Obrigkeit* oder *Herrlichkeit* est illud, vî cujus Domino territoriali in sylvis & nemoribus sui territorii competit potestas condendi leges sylvestres & venaticas *Förstliche Gebott und*

Verbott anzulegen; potestas venandi & insectandi feras, ac eum in finem exigendi operas subditorum seu bannum ferinum den Wildbann: item jurisdictio forestialis Forst, oder Jagt Gericht seu potestas cognoscendi negotia forestalia ac vindicandi delicta circa venationes & sylvas, contra leges forestales commissa. *Schmier. l. 1. tr. 5. c. 5. n. 76. cum Lundenspör & aliis.*

2. Q. 1. an jus venandi à supremo jure forestæ, in quo tanquam pars in suo toto clauditur, aliquando separaretur? *R. aff.* neque tunc aliam tribuit facultatem, quàm insectandi & capiendi feras, majores aut minores, pro diversa concedendi ratione & amplitudine. *Schmier n. 78.*

3. Q. 2. an jus foresti subinde pertineat ad alium, quàm Dominum territorialem? *R. aff.* & tunc Domino territoriali id saltem juris remanet, quòd, si alter concessò foresti jure abutatur, & e. g. nimias arbores excindat, illi vel jus foresti adimere vel pœnam aliam dictare valeat. *Idem n. 79.*

## FORTITUDO

1. est virtus moralis Cardinalis, inducens mediocritatem in affectus timoris & audaciæ, ne impediunt voluntatem ab eo, quod circa malorum pericula hominem decet. Ejus actus elicitus sunt duo, sc. volitio sustinendi & volitio aggrediendi pericula malorum, prout recta ratio dicitur. Ejus partes, non subjectivæ sed quasi integrantes & potentiales, juxta *S. Th. 22. q. 128.* sunt quatuor, videlicet Magnanimitas, Magnificencia, Patientia, & Perseverantia.

2. Q. 1. quid sit *Magnanimitas*? *R.* est virtus, quæ modum rationis ponit circa magnos honores. *S. Th. q. 129. a. 3.* Est autem, ait *S. D. a. 1. ad 3.* circa honores sic, ut studeat ea facere, quæ sunt honore digna, non verò sic, ut pro magno æstimet humanum honorem.

Unde

Unde etiam virtuosum est, tam amare (quod facit *Philotimia*) quàm non-amare honorem (quod est *Aphilotimia*) prout recta ratio dicitur; ut ait idem *S. Th. a. 2. in Q.*, qui *ibid. ad 3.* docet, magnanimitatem quoque esse circa inhonorationes, quia magnanimus eis non frangitur, sed eas contemnit, utpote quas reputat sibi indignè inferri.

3. *Q. 2.* an *fiducia* pertineat ad magnanimitatem? *Re affirm.* nam *fiducia*, cum robur quoddam spei boni consequendi importet, ad magnanimitatem spectat, inquit *S. Th. cit. q. 129. a. 6.* postquam *q. 128. a. 1.* ex Tullio fiduciam definierat, quòd sit ea, per quam magnis & honestis rebus multum ipse animus in se confidentiæ cum spe collocavit.

4. *Q. 3.* quænam vitia Magnanimitati opponantur? *Re illi per excessum* opponi *inò præsumptionem*, quæ est peccatum, quò aliquis ea agere assumit, quæ suas vires superant. *S. Th. q. 130. a. 1. & 2.* Vide: *Præsumptio.* 2dò *ambitio*, quæ est peccatum, quò quis inordinate honorem desiderat, vel quem non meretur, vel quem non in DEUM, sed ad sui ipsius tantum utilitatem refert. *S. Th. q. 131. a. 1. & 2.* Vide: *Ambitio.* 3dò *appetitus inordinatus gloriæ seu clarificationis suæ.* *S. Th. q. 132. a. 1. & 2.* Vide: *Vana gloria.* Magnanimitati per defectum opponitur *Puſillanimitas*, quæ est peccatum, quò quis ea non attentat, quæ suæ naturali virtuti sunt commensurata. *S. D. q. 133. a. 1. & 2.* Vide: *Puſillanimitas.*

5. *Q. 4.* quid sit *Magnificentia*? *Re*, eam esse rerum magnarum excelsarumque cum magnis sumptibus atque cum quadam animi ampla & splendida propositione cogitationem ac administrationem. *S. D. cum Tullio q. 134. a. 2. & 3.* Ei per defectum opponitur *Parvifacientia*, quâ quis deficit à iusta proportionem, quam ratio decori postulat inter opus faciendum & sumptus pro eo. Per excessum verò illi opponitur *Profusio*, quam 4.

*Eth. 2. Aristoteles Bonausiam, D. Thomas verò consumptionem appellat, quâ quis plures sumptus facit, quàm facientis aut operis qualitas exigit.*

6. *Q. 5. quid sit Patientia? R̄ cum S. Th. q. 136. a. 1. eam esse virtutem, quâ bonum rationis conservatur contra tristitiam, ne ratio ipsa ei succumbat. S. Aug. apud eund. S. D. eam definiens ait: Patientia est, quâ mala æquò animò toleramus (id est, ut S. Th. explicat, sine perturbatione tristitiæ) ne animò iniquò bona deseramus, per quæ ad meliora perveniamus.*

7. *Q. 6. quid sit & (2) quomodo cum patientia conveniat longanimitas? R̄ ad 1. cum S. Th. cit. q. a. 5. longanimitatem esse virtutem, quâ quis habet animum tendendi in aliquod bonum, quod in longinquum distat. R̄ ad 2. cum eodem ibid. eam cum patientia convenire imò per hoc, quia patientia aliqua mala perfert propter aliquod bonum dilatatum in longinquum: 2do per hoc, quia hoc ipsum, quod est differri bonum speratum, natum est causare tristitiam secundum illud Prov. 13. spes, quæ differtur, affligit animam.*

8. *Q. 7. quæ vitia patientiæ opponantur? R̄ per defectum illi opponi insensibilitatem, quâ quis propriis malis nullò modò tangitur ex mentis hebetudine: Per doloris verò excessum illi opponitur impatientia, quâ quis excessivè dolet vel ex dolore aut tristitia à præscripto rectæ rationis discedit.*

9. *Q. 8. quid sit Perseverantia? R̄ det S. Th. q. 137. a. 1. quòd sit specialis virtus, per quam homo in honestis operibus persistit, quantum necesse est, ut sc. ex diuturna difficultum passione non fatigetur sic, ut ab illorum sustinentia desistat. Perseverantia (ait a. 3. S. D.) & constantia conveniunt quidem in fine; quia ad utramque pertinet firmiter persistere in aliquo bono; differunt autem secundum ea, quæ difficultatem afferunt ad persistendum in bono; nam virtus perseverantiæ propriè facit firmiter persistere hominem in bono contra difficultatem, quæ provenit*  
ex

ex ipsa diuturnitate actûs; Constantia autem facit firmiter persistere in bono contra difficultatem, quæ provenit ex quibuscunque aliis exterioribus impedimentis.

10. Q. 9. quæ vitia perseverantiæ opponantur? R. per defectum illi opponi *Mollitiem* (non eam, quæ est species luxuriæ, sed) quæ est vitium, quò quis facile à bono recedit inchoato, propter timorèm deficiendi vel ob tristitiam ex defectu delectationis. Vocatur *mollities*, quia cedit debili moventi, sc. prædicto timori aut tristitiæ. Per excessum perseverantiæ opponitur *Pertinacia*, quæ est propriæ sententiæ & actionis susceptæ adhæsiō nimia & vitiosa, quâ quis sc. nimium propriæ sententiæ adhærens non desistit ab incepto, cùm oportet.

## GABELLA

1. est, ut *Calepinus* ait, dictio Italica, significans tributum publicum à Principe in communem utilitatem exactum. Habet autem (ait *V. Bulla cœnæ n. 17. N. Lez.*) tam tributum, quàm gabella diversa nomina juxta locorum & rerum diversitatem. Hispanicè vocatur *Alcavala*. Dicitur etiam *vectigal*, quia est de rebus, quæ vehuntur: *pedagium*, quia est pro aptandis viis aut pontibus, per quos inceditur: *guidagium*, quia est pro ductu securo in viis. Appellatur etiam *telonium*, *portorium*, *talia*, *præstantia*, *collecta*, *datium* &c. sed hæc nomina à *DD.* ordinariè pro eod. sumi solent, sc. pro eo, quod Regi aut Principi solvitur pro necessitate sua vel Reip. *N. Steph. tr. 4. disp: 11. n. 9.*

2. Q. 1. quænam requirantur ad hoc, ut gabella sit justa? R. *seqq.* unum est autoritas imponendi. Possunt autem juxtà *DD. comm.* gabellam imponere. 1. Papa, & quidem directè in terris sibi temporaliter subjectis; in aliis verò solùm indirectè, dum sc. id neces-